

1154

45

116

19

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**DECISIONE  
CASVVM QVAE FIT PRO  
AVCTORITATE,**

QVAE  
PRAESIDE  
**DANIELE NETTELBLADT**  
POTENTISS. BORVSS. REGI A CONSILIIS AVLICIS  
ET PROFESSORE IVRIS ORDINARIO  
ORDINIS ICTORVM H. T. DECANO

PRO SVMmis IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
CONSEQUENDIS,

D. II. NOVEMB. MDCCLIV.

H. L. Q. C.


PUBLICO EXAMINI SVBMITTETVR

AB  
AVCTORE  
**TRAVGOTT GVILIELMO ZANGEN**  
DRESDENSI.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIBVAM  
RECUSA MDCCCLXV.

(4)





DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**DECISIONE CAVVM QVAE**  
FIT PRO AVCTORITATE.

---

C A P V T I.

DE  
**DECISIONIS CAVVM QVAE FIT PRO**  
AVCTORITATE GENVINA NOTIONE  
ET SPECIEBVS.

§. I.



Inter varios, casus in foro obuenientes, decidendi modos, quos *Illustr. DN. PRAESES* in disserr. de variis casus in foro obuios decidendi modis in genere recensuit, mentionem etiam facit §. 17. modi cuiusdam decidendi casus, quem appellat decisionem pro auctoritate. Meretur hic, si quis alias, ut sigillatim pertractetur & ad certa principia

A 2

cipia reuocetur: id quod in hoc specimine tentabo. Licet enim iam exstat de hoc themate MANTZELIANA dissert. *de decisionibus quae sunt pro auctoritate, vulgo vom Durchgreissen*, non tamen omnia, quae de hoc decidendi casus modo dicenda, ita sunt exhausta, ut mihi non sit relictum specilegium; prout ex comparatione huius speciminis, cum opusculo modo laudato, caeteroquin satis eruditio, parebit primo intuitu cuique.

**§. II.**  
Noto notius est, si per applicationem iuris ad factum decisio casuum facienda, tam ius, quam factum considerandum esse. Ast contingit saepe ius esse dubium, licet constet de facto. Contingit etiam factum esse dubium, licet constet de iure. Contingit porro utrumque dubium esse. Quid iustum sit circa casuum decisionem, si ius tantum est dubium, non factum, hic non definio, quum in hoc casu non habeat locum decisio quae sit pro auctoritate. Ast, si factum est dubium, siue tantum, siue simul, contingere potest casum obuium pro auctoritate esse decidendum. De dubio facto itaque quaedam sunt praemittenda, antequam ad ipsam huius decidendi modi explicationem me adceingo.

**§. III.**  
Si contingit, dum ius ad factum est applicandum, factum esse dubium, ante omnia tentandum, per legitimam & in vulgus nota probandi media veritatem erui. Quod, si ex voto succedat, casus decisio secundum acta & probata sit, nec hic pro auctoritate aliquid statuendum. Ast, si frustra adhibentur probandi media, nec potest

potest veritas haberi, tum locum habet decisio quae sit pro auctoritate, quae iraque supponit factum esse ita dubium, ut veritas haberi nequeat, seu, quod idem est, casum decidendum esse incertum.

§. IV.

Differunt scilicet casus decidendi & in eo, quod alii tales sint, ut iam constet de omnibus, de quibus constare debet, ut possint leges iura partium determinantes ad eos applicari: alii vero tales sint, ut nondum constet de omnibus, de quibus constare debet, ut possint leges iura partium determinantes ad eos applicari. Si posterius eorum, de quibus nondum constat, veritas, aut haberi potest, aut non. Si haberi potest veritas eorum de quibus nondum constat, eaque actu iam adest *casus* dicitur *certus*. Si vero haberi nequit, *incertum* eum appellare liceat. Incertus casus vero est, vel casus incertus an, vel casus incertus quomodo. Quum enim quoad quemlibet casum a se inuicem distingui possint, casus ipse & casus circumstantiae, contingere potest constare quidem de casu ipso, ast non de circumstantiis, iis nimirum, quae influunt in decisionem, quippe quae hic saltem sunt attendendae. Si prius, casus incertus dici potest casus *incertus an*. Si vero posterius, casus incertus sub casus *incerti quomodo* nomine venit. Ut vero quae de casu incerto, eiusque speciebus, dicta sunt, exemplis illustrantur, sequentia addere placet. Pone orto creditorum concursu adesse qui vrgent separationem. Pone certum esse gaudere separationis beneficio eos qui illud pertunt, ast bona diueriorum debitorum ita esse commixta, ut, adhibitis li-

A 3

cet

cet omnibus probandi mediis, tamen non constet, quae sint huius, quae illius debitoris. Tum adest incertus casus, & quidem casus incertus quomodo: quum constet quidem de casu ipso, non vero de ea circumstantia, quae bona sint cuiuslibet debitoris propria. Porro, si adessent quidem indicia delicti commissi, ast non constaret, reuera delictum esse commissum, omnibus licet veritatem eruendi remedii adhibitis, casus hic esset casus incertus, & quidem incertus an.

## §. V.

His de casibus incertis in genere praemissis, clarius patebit, quid sit decisio quae fit pro auctoritate. Quum omnes in foro obuenientes casus sint decidendi, nec illud veterum: *non liquet*, amplius in vnu sit, & casus incertus a iudice exspectat decisionem. Ast, si casus decidendus talis est, aliter tamen in decisione eius est procedendum, ac fieri deberet, si esset certus. Oritur inde itaque peculiaris decidendi casus in foro obuios modus, qui locum habet, si casus decidendus est incertus, qui dicitur *decisio casus, quae fit pro auctoritate*, estque is decidendi modus, qui locum habet, si casus decidendus est incertus.

## §. VI.

Huic notioni respondet egregie ipsa denominatio, quae in vernacula per vocem: *Durchgreiffen* satis concinne exprimitur ab *Illustr. MANTZELIO* loc. cit. Loquutione illa: *pro auctoritate agere* & voce germanica: *Durchgreissen*, tum vti solemus in communione loquendi vnu, si, dum agimus, notione actionis sufficienter determinata non sumus instructi, ast tamen, cum omnia

omnia in apricum produci nequeant, vt res exitum habeat, statim aliiquid. Cum itaque in his angustiis sit constitutus iudex, si casus, quem decidere debet, est incertus, merito dicitur, quod pro auctoritate decidat eum vulgo, *das er durchgreiffe*, si, vt res exitum habeat, tamen eum decidit. Quod vero aliud sit *in einer Sache durchgreiffen*, aliud *eine Sache aufgreissen ex infra* dicendis patebit.

§. VII.

Ast, ne forsan in limine huius tractationis mihi obiciatur, de quo tu scribis nihil est, quum non liceat iudici casus in foro obuenientes pro auctoritate decidere, statim euincendum erit, hunc decidendi casus modum ad entia rationis haud referri posse. Circumseritur quidem regula, indicem secundum acta & probata pronunciare debere, cui e diametro contrarius videtur hic decidendi modus, quium tum, si hoc adhibito casus deciditur, iudex pronunciet, vt ita loquar, deficientibus actis & probatis. Licer vero, vt contra hanc regulam vincat, quem defendo, decidendi casus modus, ad c. *Afferte mibi gladium 2. X. de praesum.* prouocare nequeam, cum in eo fundatum non esse lubens fatear, non defunt tamen alia defendendi media. In excitata regula acta & probata, secundum quae iudicem pronunciare vult, opponuntur iudicis conscientiae, ea que vult, iudicis non esse pronunciare secundum ea, de quibus ex actis non constat, sicque, quum nec hoc fiat, si casus pro auctoritate deciditur, hunc decidendi modum dictae regulae contrarium esse dici nequit. Praeterea haec regula supponit probari posse, de quibus constare debet, vt possint leges iura partium

rium definientes applicari, nec, si hoc impossibile est, locum habet. Restringenda itaque est ad casuum certorum decisionem, nec locum habet, si contingit casum decidendum esse incertum, qualem supponit decidendi modus de quo loquor. Quae licet ita se habent, nondum tamen extra omnem dubitationis aleam positum esse sentio, licere iudici pro auctoritate casus decidere. Quiescere debere dici posset, si deest sufficiens probatio, causam, donec probationis defectus suppleri possit. Reete. Quiescat, modo quiescere possit. Tum enim hunc decidendi modum locum non habere concedo, prout ex infra dicendis patebit. Ast dantur causee quae quiescere nequeunt tamdiu, sive forsan in aeternum. Quid tum? Pro auctoritate decidendus est casus, ut exitum habeat causa, quae indecisiva relinqui nequit.

## §. VIII.

Quum itaque modus decidendi casus in foro obvius hic explicandus, neutquam ad non entia referri possit, de speciebus eius investigandis iam ero sollicitus. Ipsas leges nonnunquam, quid pro vero habendum, si casus decidendus est incertus, definire, vel extit. ff. de rebus dubiis satis patet. Ast saepissime deficere legum hac de re dispositionem, non solum ex legum posituarum ipsa natura & indole a priori facile cognosci potest, sed & per experientiam a posteriori comprobatur. Ostende mihi, ut unicum tantum hic adducam casum incertum, legem, quae determinat quantam pecuniae summam capiat sacculus, de quo testes deponunt, eum fuisse capiti hominis aequalem.

Quae

Quae cum ita sint, decisionem casum quae sit pro auctoritate non incongrue dividendi posse coniicio, in eam quae sit secundum arbitrium legislatoris, & in eam, quae sit secundum arbitrium iudicis, prout, quid in casu incerto pro vero habendum leges vel definiunt, vel non. Neutquam enim implicat casum decidi pro auctoritate, & tamen iudicem sequi hic legem, cum pro auctoritate decisionem fieri, nondum involuat eam fieri secundum arbitrium eius qui decisionis auctor est. Quumque *Illustr. DN. PRAESES* in *Dissert. de variis casus in foro obuios decidendi modis in genere* iam demonstratum dederit decisionem quae secundum legislatoris arbitrium sit, abire in decisionem secundum legem ipsam & secundum argumentum ex lege, illamque in eam quae sit secundum strictum ius & secundum aequitatem, hanc vero in decisionem ex lege in specie sic dictam & decisionem secundum analogiam, haec subdivisiones & hic locum habent, licet, quae ibi iam dicta sunt, hic repeti, non sit necesse.

§. IX.

His iam recensitis speciebus decisionis pro auctoritate addo alias, quae ex alio oriuntur fundamento. Licet saepe, si casus pro auctoritate deciditur, decisione sit dividendo litis obiectum inter litigantes, semper tamen hoc modo controversia non dirimitur, nec dirimi potest. Inde oritur secunda divisione decisionis pro auctoritate in eam, quae sit dividendo litis obiectum inter litigantes, & quae ita non sit. Priorem speciem appellare licet decisionem *divisoriā*, posteriorem vero non *divisoriā*. Sententia ipsa vero, quae decidit

B casum

casum adhibito priori decidendi casus pro auctoritate modo, dici possit sententia diuisoria, quam LVDEWIGIVS in *denen gelehrten Anzeigen P. I n. 198.* appellat *ein Schnitterurthel*, in Franconia vero, teste KIRPINGTONI in Dissert. proemiali de diverso iudicis a summi imperantis arbitrio & utriusque norma §. 8. quae praemissa est BIVS libello de SCtis supremorum in Imp. R. G. iudiciorum, ein Bauernbescheid dici solet.

## §. X.

Quum vero l. 34. ff. de negot. gest. obstarere videatur modo adductae speciei decisionis pro auctoritate, quam appello decisionem diuisoriam, paucis ad eam respondendum. Agit in hac lege PAVLVS de alimentis ob auia praestitis nepoti, quae eius heredes repetebant a nepotis heredibus, & ita tandem definit hanc controvseriam: *in re facti facilius putabo auiam vel heredes eius audiendos, si reputare velint alimenta: maxime si etiam in rationem impensarum ea retulisse auiam apparebit.* Illud nequaquam admittendum puto, vt de vtroque patrimonio erogata videantur. Hic PAVLVS manifesto reicit sententiam diuisoriam, quum nequaquam admittendum esse dicat, vt de vtroque patrimonio, scilicet auiae & nepotis, erogata videantur. Vnde & FREHERVUS L. 1 Verifim. c. 27. anile & rusticum appellat per diuisionem item decidere, nec non FABER in rationalibus ad l. 34. ff. de negot. gest. hunc decidendi modum reiicit. Ast non solum LVDEWIGIVS loc. cit. satis euicit, licere omnino iudici per diuisoriam sententiam liti imponere finem, sed & b. KOENIGIVS in diurnis Hallensibus de ann. 1751. num 2.

hunc

hunc decidendi modum exemplo quodam illustravit.  
Facilis etiam est ad dictam legem, quae obstat vide-  
tur, responso. Neutquam in eo generatim hic deci-  
dendi modus reiicitur, sed tantum in casu ibi propo-  
sito. Vnde nec desunt aliae leges in quibus caſus in-  
certi hoc modo sunt decisi, veluti §. 4. I. de vulg. ſubſt.  
l. 40. ff. de hered. iſtit. l. 3. ff. ſi pars hered. l. 15. ff. de  
hered. iſtit.

C A P V T II.

DE

DIFFERENTIA INTER DECISIONEM  
CASVVM QVAE FIT PRO AVCTORITATE  
EIVSQVE COGNATA.

§. XI.

**Q**uum non solum alii modi decidendi casus in fo-  
ro obuios, sed & praeterea 1) sententiae Prin-  
cipum ex plenitudine potestatis latae, *die Macht-  
sprüche*, 2) is procedendi modus, quo iudex litem,  
vel ab initio tollere, vel in ipso processu cursu sopire  
studet, *das Aufgreiffen einer Sache*; 3) fors quam ap-  
pellant decisoriā, cum decisione casuum quae fit pro  
auctoritate facile confundi possint: operaे pretium erit  
differentiā, quae intercedit decisionem pro auctoriti-  
tate, & haec modo recensita eius cognata, hic expli-  
care.

B 2

§. XII.

Quod itaque attinet 1) reliquos casus in foro obvios decidendi modos, praeter hunc de quo hic agitur, equidem iam supra §. VIII. euictum est, & cum si pro auctoritate decisio sit, vel secundum legislatoris, vel secundum iudicis arbitrium eam fieri, & ipsas subdivisiones horum decidendi modorum etiam hic locum habere, indeque viderit ut genus & species differre. Licet vero nec hoc a veritate alienum sit, nondum tamen 1) decisionem quae sit pro auctoritate, differre a decisione quae non sit pro auctoritate seu secundum acta & probata in eo, quod haec casum certum, illa casum incertum esse, qui decidendus est, supponat. 2) Si decisio pro auctoritate sit secundum legislatoris arbitrium, sive fiat secundum legem ipsam, sive secundum argumentum ex lege, tumque in priori casu sive secundum strictum ius, sive secundum aequitatem, in posteriori vero sive secundum argumentum ex lege in stricto significatu, sive secundum analogiam, lex qua tum vrimur non ipsa iura partium definit, sed potius determinat, quid in casu incerto pro vero assumendum sit, deficiente sufficiente probatione. Contra vero, si decisio non sit pro auctoritate, tum, si secundum legislatoris arbitrium deciditur casus, lex quae applicatur est talis, quae ipsa partium iura definit. E.g. pone patrem & filium in eodem periculo perisse, de eo vero, quis primus perierit, non constare, quum haec circumstantial tamen in casus decisionem influat. Hic casus est casus incertus quomodo, nec aliter quam per decisionem quae sit pro auctoritate decidi potest. Quum vero *l. 9. f. 1. ff. de reb. dub.* definitum tum, si filius

lius pubes fuit, intelligi superiusse patri, siveque adsit lex determinans quid hic pro auctoritate statuendum, decisio pro auctoritate quae sit secundum legem seu legislatoris arbitrium hic locum habet. Ast haec lex eatenus, quatenus hanc rem dubiam definit, non determinat iura partium, & non nisi eatenus secundum eam decisio pro auctoritate sit. 3) Decisio quae sit secundum arbitrium iudicis non differt, sive decisio sit pro auctoritate, sive non, nisi in eo, quod secundum diversa principia pro hac diversitate index dirigere debet suum arbitrium.

Ordo nunc tangit II) Principium sententias ex plenitudine potestatis latae, *die Macht sprüche*. Differre eas ea sententia iudicum per decisionem pro auctoritate factam latis, & in quo differant, tum patebit, si, praemissa definitione, comparatio earum cum his iudicis sententiis fiet.

**§. XIV.**

Non omnino conueniunt Doctores informando conceptu sententiarum Principis ex plenitudine potestatis latarum. Sunt enim qui, si Princeps dissensui & paritati votorum consultit, ex plenitudine potestatis punctum aliquod decidendo, & hunc aliquid definendi modum sub nomine hoc comprehendunt, & in hoc etiam casu eius decisionem *einen Macht spruch* appellant. Vid. SCHRADERVS de sententiis principum ex potestatis plenitudine latis Cap. I. §. 1. Ast dicenda po-

tius in hoc casu Principis decisio, seu, si mauis, definitio, der Auschlag, & ipsa haec actio den Auschlag geben; quam ein Machtsspruch, & ipsa actio einen Machtsspruch thun. Mitto itaque hunc significatum & ad alterum me conuerto, quem pro magis apto habeo, & in quo sententiae Principis ex plenitudine potestatis latae magis conueniunt cum iudicis sententiis, quae ex decisione pro auctoritate facta oriuntur. Venit nimirum sub nomine sententiae Principis ex plenitudine potestatis latae etiam, vt ait SCHRADER loc. cit. §. 4. pronunciatio inter litigantes a superiori, qui plenitudine potestatis pollet, facta, non attenta vbique urbis communis dispositione, quae definitio non plane reiicienda, licet aliqua indigeat emendatione. Scilicet, aut in latiori significatu definienda Principis sententia de qua loquor, vt vtrumque conceptum modo laudatum exhaustat definitio, aut in magis proprio & stricto significatu. Si prius, dic: est Principis pronunciatio qua aliquid, modo ab ordinario diuerso, definitur seu determinatur. Si vero posterius, dic: est Principis pronunciatio, qua modo ab ordinario diuerso aliquid definitur in litibus ciuium. Hac si incedis via, facile lites, quae ratione ipsius conceptus obueniunt, componi & aliorum definitiones cum datis conciliari possunt. Si itaque e. gr. Illust. MOSERVS in der Abhandlung von kaeysserlichen Machtssprüchen in Rechts-Staats- und gewissten Sachen §. 1. hanc suppeditat definitionem: ein Machtsspruch ist eine Erklärung, Verordnung, oder Befehl eines Regenten, modurch er eine Sache auf eine sonst ungewöhnliche und außerordentliche Weise entscheidet, eam secundum generalem conceptum formatam esse, quilibet

quilibet statim videt. Quod itaque cum aliorum definitionibus non conueniat, inde esse statim apparet, quoniam alii sensum magis pressum adsumunt & secundum eum definiunt. Caeterum, quod attinet illustrationem definitionis a me suppeditatae, norandum est, modum ab ordinario diuersum, cuius in definitione mentionem feci, varie concipi posse. Quum vero hic mihi otium fecerit *Illiustr. MOSERVUS loc. cit. f. 2.* id eius potius, quam meis, his exprimere placet verbi: „Machtssprüche geben also allezeit von denen sonst gewöhnlichen Arten eine Sache zu behandeln oder zu entscheiden, ab: Dieses aber kan auf verschiedene Art geschehen. Entweder nemlich fordert der Regent die Sache durch einen Machtsspruch von ihrer ordentlichen Instantz ab und spricht selbst darin, ohne daß entweder die gewöhnliche Formalitäeten übergangen oder einer Parthey Gerechtsamen dadurch verkürzt waeren, oder daß der Regent sich eine außerordentliche Gewalt herausgenommen habe. Oder die Sache wird zwar für ihrer ordentlichen Instantz verhandelt, aber es wird darinnen ein Spruch ertheilet, ohne daß die gewöhnlichen formalia processus beobachtet worden waeren, ehe die Sache denen Rechten und Gerichts-Ordnung nach zum Spruch reiff gewesen ist. Oder der Regent spricht einer Parthei etwas zu oder ab, so ihr nach den in diesem Staat hergebrachten Rechten ordentlicher Weise nicht respect zu- oder abgesprochen werden koennte &c.

§. XV.

## §. XV.

His de ipsa notione sententiarum Principis ex plenitudine potestatis latarum praemissis, quae sit inter eas, & sententias per decisionem quae sit pro auctoritate lata, differentia, statim patebit. Illarum auctor est princeps: harum iudex. Illae locum habent tam si adest casus incertus, quam si adest certus: hae vero requirunt casum decidendum esse casum incertum. In illis negligi possunt leges, praesertim tum, si nullius laeditur ius quaesitum: in his neutiquam. Illae supponunt extraordinarias circumstantias, sub quibus salus vel securitas publica requirit modo ab ordinario diuerso procedi: hae vero tales circumstantias non supponunt. Sufficient hae differentiae, quum ex iis iam satis constet differre omnino inter se sententias Principis ex plenitudine potestatis latas, & sententias per decisionem pro auctoritate factam latas.

## §. XVI.

Progedior III) ad illum procedendi modum quo iudex vel processum imminentem ab existentia reprimit, vel eum in medio cursu sistit, sicque causam abrumpit, vulgo *da der Richter die Sache aufgreiffet*. Fit hoc ut plurimum in odiosis, & in iis litibus, ex quibus plures possunt generari. Non est huius loci inquirere, quatenus & quando iudici liceat hoc modo litium numerum imminuere, aut abbreviare processum, quum non sit huius loci hunc procedendi modum examinare & ad sua principia reuocare. Sufficit

Sufficit itaque mihi hunc procedendi modum placere iei non posse, prout vel exempla, in quibus transactio iuxta locum habet, comprobant. *M*etum potius est definire, an & in quo differat hinc procedendi modus a decisione pro auctoritate facta, quem in finem huius procedendi modi definitio praemittenda. Si iudex aut imminentem processum auertit, aut coeptum finit, antequam causae cognitio vel coepita, vel, licet coepita sit, nondum tamen absoluta est, *causam abrumpere* dicitur, er greifet die Sache auf. Vnde pater tum, si causam abrumpit, eam non decidi, quippe quod absque praecia causae cognitione, eaque, si coepita sit, nondum finita, fieri nequit, quum antea non constet deo iuribus seu obligationibus cuiusque, quae tamen decidendo determinandae sunt. Ideo potius, ne opus sit decisione, causam, antequam ita instructa est, ut decidi possit, iudex abrumpit. Quum ita que hic procedendi modus pro decisionis specie haberi nequeat, inde iam pater eum differre a veris decisionis speciebus, qualis est ea, quae fit pro auctoritate. Ast instas forsitan, licet non sit unum idemque, causam abrumpere & decidere casum omnium pro auctoritate, siveque pro synonymis haberi nequeant hi duo procedendi modi, fieri tamen posse indicem per decisionem pro auctoritate causam abrumpere, daß er durch einen Durchgriff die Sache aufgreiffe. Hoc concedere possum, licet raro locum habeat. Pro auctoritate enim decisionem fieri supponit casum decidendum esse incertum, ast de eo,

C                    quod

1109



quod incertus sit, constare nequit, antequam causae cognitio est finita, prout ex ipsa causa incerti notione patet, causae cognitione finita vero causam abrumpi dici nequit, repugnante notione huius procedendi modi. Quae quum ita sint, non nisi tum hoc sit, si locum habet exceptio quam regula infra §. XIX. explicanda patitur.

## §. XVII.

Dissert itidem a decisione pro auctoritate facta, licet ad cognata eius referri possit IV) fors, quam appellant decisoriam. De sorte in genere eiusque speciebus hic repetere nolo, quae in vulgus nota sunt. Statim itaque ad id me conuerto, quod hoc loco de sorte definiendum, an nimirum & quomodo a se inuicem differenti sorti committere causam, & pro auctoritate decidere casum. Notum est ex iuri theoria sorti decisoriae haud promiscue in causis dubiis esse locum, sed tum demum, quum dubium de iure vertatur, factum autem sit certum; id quod rectae rationis principia inculcant, & leges romanae confirmant, inter quas praeserrim hic notanda 13. C comm. de legat. & fideicommiss. Quum itaque decisio causum pro auctoritate supponat causum incertum, sive quod dubium de facto vertatur, nec tum, si sorti committitur causa, decisionem pro auctoritate factam esse defendi, nec aliam similitudinem adesse dici potest, praeter hanc, quod fors decisoria supponat aequa ac decisio pro aucto-

auctoritate facta incertitudinem quandam, ast illa quoad ius, haec quoad factum. Immo tantum abest tum, si causa dubia sortis iudicio committitur, decisionem eius pro auctoritate factam esse dici posse, ut potius per sortem nunquam casus decisio fiat, nec pro peculiari modo casus in foro obuios decidendi haberi possit per sortem facta decisio, licet vulgo dici soleat, die Siche sey durchs Loos entschieden. Iudex enim decidit casus obuios & vtitur tum, si casus quidem certus est, ast iura partium aequalia sunt, nec tamen vel communioni, vel divisioni, vel vicibus alternis locus est, sorte tanquam remedio subsidiario determinandi, quod secundum artis regulas determinari nequit. E. gr. si duo in ultimo subhalationis momento quasi vna eademque voce idem obtulerunt pretium, casus est certus, quum constet, qui obtulerint pretium, quale obtulerint pretium, & quo tempore id obtulerint, nihilque adest, quod pro auctoritate definitendum. Ast quum sub his circumstantiis iura partium sint aequalia, index nec vni nec alteri rem sub hasta venditam addicere potest, sive in decidendo ad sortem configit, ut per eam determinetur cuius esse debeat. Quod dum sit, iudex, non sors, determinat iura & obligationes, quae in hoc casu locum habent, nimurum eius, quem sors elegerit, esse rem sub hasta venditam. Sors vero, quae adhibetur, tum determinat, quis litigantium is sit, cuius res esse debeat, quippe quod iudex determinare nequit. Iudex itaque decidit casum, & sors adhibetur ut

C 2

reme-

remedium subsidiarium id porro determinandi, quod iudex in sententia ineterminatum relinquare debet. Vid. IVNIVS in Dissert. de forte remedio *subsidario causas dubias dirimendi.* Vnde simul regulae: *vbi in iure deficit ars, ibi incipit fors sua constata ratio.*

## C A P V T III.

DE

RECTO DECISIONIS CASVVM  
QVAE FIT PRO AVCTORITATE  
VSV.

## §. XVIII.

**A**mplissimum nunc ingredior campum, dum rectus decisionis casum quae sit pro auctoritate usus determinandus. Duplex hic mihi patet via, longa altera per exempla, brevis altera per regulas generales. Eligo breuem, ut paucis me expediam. Sunt vero regulae hic tradendae duplices generis. Definiendum nimurum per eas 1) quando locum habeat hic decidendi modus; 2) quomodo, hoc adhibito decidendi modo, casus sint decidendi.

## §. XIX.

§. XIX.

Vt locum habere queat decisio quae fit pro auctoritate, casum decidendum incertum esse necesse est; id quod ex ipsa definitione huius decidendi modi patet. Non sufficit itaque casum esse dubium, sed tum potius eo respiciendum, vt fiat certus, per legitima probandi media hic applicanda. Unde patet, quod, quantum iuramenta saepissime, deficiuntibus aliis probandi mediis, huic usui inseruire possint, purgatoria potissimum & suppletoria, quamdiu haec locum habere possunt, ad decisionem pro auctoritate non sit prosugiendum. Sit itaque regularum quae determinant, an decisio pro auctoritate locum habeat, vel non, prima, haec: *Quoties per legitima probandi media, praesertim per iuramenta, veritas haberi potest, decisio pro auctoritate non habet locum, sed potius opus est interlocutoria super probatione.* Addo vero illustrationis causa, 1) hic supponi factum dubium tale esse, vt id, quod adhuc dubium est, influat in decisionem. Si enim nullius est momenti in causa diiudicanda, non opus interlocutoria super probatione, sed potius statim per definitiunam sententiam causâ decidenda est, nec tum decisio pro auctoritate sit, quum constet de iis, de quibus constare debet, vt leges iura partium determinantes applicari possint, siveque adsit casus certus, licet una alteraue circumstantia sit dubia. Ea enim, si non influit in decisionem, non est attendenda, nec pertinet ad ea, de quibus constare debet,

C 3

bet,

ber, ut decisio per applicationem legum iura partium determinantium fieri possit. Vnde simul patet neutiquam toties, quoties decisio sit, quum quoad factum nondum omnia sunt certa, eam pro decisione quae sit pro auctoritate habendam esse. Attendum potius an sint talia, de quibus constare debet, antequam applicatio legum iura partium determinantium locum habere possit. 2) Admittit haec regula tum exceptionem in causis criminalibus leuioribus, si, licet locum habeat iuramentum purgatorium, sicque veritas haberi possit magna tamen adest periurii suspicio. Sub his circumstantiis enim licet omnino iudici ei, qui iuramento se purgare debet, electionem concedere, an iurare, an vero in silentium eum, quo iurare non vult, iam determinatam poenam luere malit. Hic pronunciandi modus vero omnino earenus, quatenus poena iam determinatur, quin tamen causa sit adhuc incertus, decisionem pro auctoritate factam inuoluit. Immo in genere iudex in causis minimis pro auctoritate decidere potest toties, quoties ex exacta cognitione maiora incommoda sunt metuenda. Ratio qua motus hanc admitto exceptionem, haec est. In omni collisione vincere id quod melius est, in vulgus notum est. Si vero in omnibus etiam minimis causis cognitio continuanda semper donec prodeat veritas, quam haberi posse adhuc spes superest, saepius maiora inde enascuntur incommoda, quam sunt, quae inde oriuntur, quod licet veritas forsan adhuc haberri possit, tamen ab-  
breuijan-

breuiandi processus causa, iudex ad decisionem pro auctoritate iam confudit, & per eam causam abrumpit. Tum itaque, prout supra §. XVI. iam monui, fieri potest per decisionem pro auctoritate factam causam abrumpi, *dasi die Sache durch einen Durchgriff aufgegriffen werde.*

§. XX.

Regularum eius generis, de quibus hic loquor, secunda, sit haec: *Quozies, omnibus licet, quae locum habere possunt probandi mediis adhibitis, tamen non constat de omnibus iis, de quibus constare debet, ut casus decisio quae non sit pro auctoritate locum habet, si causa talis est quae quiescere nequit donec defectus probationis suppleri possit. His positis vero perinde est, siue causa decidenda sit civilis, siue criminalis.* Sub his circumstantiis enim alia emergendi via non superest, quam pro auctoritate aliquid statui. Quum itaque superior iudicem constituens velit eum casus in foro obviis decidere, concessis tacite hunc decidendi modum adhiberi, sub circumstantiis in ipsa regula determinatis. Qnod vero restringam hanc regulam ad causas quae quiescere nequeunt inde est, quoniam, si quiescere possunt, alia adest emergendi via, quae omnino est tutior. Ast quaeritur, quando cause pro talibus habendae sint, ut quiescere possint, donec probationis defectus suppleatur. Non audio, fateor, hanc rem vna & generali definitione comprehen-

prehendere. Faciam tamen nonnullas positiones.  
I) Si casus incertus est incertus an, saepius contingit causam quiescere posse, donec adsit sufficiens probatio, quam si est incertus quomodo. II) Raro causa ciuilis talis est, vt quietere possit tamdiu; saepius vero quoad causas criminales hoc locum habet. Caeterum positis terminis habilibus & in causis criminalibus decisioni pro auctoritate locum esse, ideo monendum esse duxi, quoniam forsan dubitari possit de iis ex ea ratione, quod probationem luce meridiana clariorem requirant. Ast licet concedam in causis criminalibus grauioribus & atrocibus hunc decidendi modum locum habere non posse, ideo tamen, omnes omnino causas criminales eximendas esse, mihi persuadere non possum. Immo, nullus dubito defendere, saepius occurrere in criminalibus casus pro auctoritate decidendos, quam in ciuibibus. Ast non ideo, acsi statuam, toties, quoties poena extraordinaria irrogatur, decisionem pro auctoritate faciem esse. Casus enim certus esse potest, & tamen extraordinaria poena locum habere. Ideo potius in criminalibus facilius locum habere decisionem pro auctoritate, statuo, quoniam saepius hic contingit veritatem haberi non posse, & inter causas criminales saepius obueniant leuiores, in quibus exceptio, de qua §. praececd. dictum, locum habere potest.

§. XXI.

§. XXI.

Sufficient hae regulae quoad quaestionem, quando decisio quae pro auctoritate sit locum habeat. Progredior nunc ad secundum, quod itidem in hoc capite per regulas definiendum esse §. XVIII. iam monui, nimurum quomodo, si locum habet decisio quae sit pro auctoritate, ea facienda sit. Neutquam enim iudici, si & casus decidendus incertus sit, vt possit eum pro auctoritate decidere, in suos usus trahere licet illud: *Sic volo, sic iubeo, stat pro ratione voluntus.* Cogitandu itaque de regulis quae instruunt iudicem, quomodo procedendum, si pro auctoritate decidendus est casus.

§. XXII.

In tradendis his regulis a leuioribus & simplioribus initium faciam. Prima, quam pono, haec est: *Si adsunt leges quae definitiunt quid in casu incerto pro vero habendum, iudex in decisione casus incerti simpliciter huic legum dispositioni inhaerere debet.* E. gr. Si incertum est, quis eorum, qui in eodem periculo perierunt, superuixerit alterum, adsunt vero leges hoc definites, iudex in legislatoris voluntate acquiescere debet. Addo statim regulam secundam: *Si adsunt leges quae definitiunt, quae decisionis pro auctoritate species sit adhibenda, eam iudicem adhibere necesse est.* E. gr. Si leges definiunt

finiunt obiectum litis in casu incerto esse diuidendum inter litigantes, iudicis est diuidere illud inter eos, qualium legum exempla me iam supra §. XI. in medium produxisse recordor. Quum itaque de harum regularum sensu ex adiectis exemplis iam constet, de veritate earum autem nemo dubitare possit, cui est mens sana in corpore sano, nihil addo, sed potius statim progredior ad reliquarum regularum explicationem.

## §. XXIII.

Sit itaque tertia, modum decidendi casus pro auctoritate definiens, regula, haec: *Si defunt leges definientes quid in casu incerto pro vero habendum, index in decisione pro auctoritate secundum suum arbitrium determinare debet illud, eunque in finem quid probabile sit eruere, eoque inuenio pro vero id adsumere debet.* Quin itaque hic omnia eo redant, ut, quod quam maxime probabile est, inueniatur, idque absque principiis quae logica probabilitum suppeditare debet, fieri ita nequeat, ut de probabilitate maxima plane conuincamur, o quam velle, tandem aliquando dudum desideratam logicam probabilitum vere pragmaticam prodire. Sed mitto hoc pium desiderium, quum potius de illustratione huius regulae per exempla sit cogitandum. Inter varia exempla vero, quae mihi hic in mentem veniunt, optimum esse iudico illud quod praebet casus, quem narrat, & super quo egregie philo-

philosophatur. **Illiſter.** MANTZEL V.S. in mantissa  
dissert. cuius §. 1. mentionem feci, adiecta. Narra-  
bo eum retentis ipsis EIVS verbis: „Es waren in  
„einer Stadt drey Brüder gewesen: der eine hatte sich  
„in ferue Lande begeben, der zweite war in der Stadt  
„wohnhaft geworden, und bey demselben batte sich  
„der dritte Bruder, welcher in der Stille vor sich hin  
„unverheyratet gelebet zuletzt aufgehalten. Der  
„gegenwärtige Bruder batte den dritten bey ihm ster-  
„benden beerdigen lassen, und seinen erwähnigen Nach-  
„laß an sich behalten: darauf war er auch gestorben,  
„und der erstere kam nach einiger Zeit zurücke, und  
„forderte von denen Kindern des Mittlern die Helf-  
„te des Nachlasses des besagter massen verstorbenen  
„Bruders. Es fehlte am inventario, und die be-  
„klagten Kinder wußten von nichts. Doch war es  
„überhaupt nicht zu lieugnen, daß der Mensch qu.  
„meil er fleißig und genau gewesen, wohl etwas nach-  
„gelassen haette. Endlich ward eine Weibsperson  
„ausgemacht, die dem Verstorbenen bey seinen letzten  
„Lager Handreichung gethan, und dieselbe sagte sum-  
„mariter aus, daß der Verstorbene kurtz vor seinem  
„Ende, sich von ihr aus der Lade einen Beutel mit  
„Gelde, der so groß wie ein Kopf, reichen lassen,  
„umb sich darau oder daraus zu erquicken. Es ward  
„also zum obiecto der actionis familiae erciscundae  
„gesetzt, ein Beutel mit Geld, der wie ein Kopf  
„groß. Pone iam, omnibus licet adhibitis veri-  
„tatem eruendi mediis, de obiecto actionis familiae  
erciscundae nihil praeter hoc constare, in defuncti.

bonis fuisse sacculum capiti hominis aequalem numerata pecunia repletum. Hic casus itaque tanquam casus incertus quomodo, pro auctoritate est decidendus. Quum vero desint leges, quae determinant quantam pecuniae summam talis sacculus capiat, id ex arbitrio iudicis definiendum est. Inquireadum itaque in probabilitatem, quae tandem prodibit, si omnia ad quae hic attendendum ponderantur, quae iam detexit egregie *Illustr. MANTZELIUS loc. cit.* dum ita philosophatur: *Consideretur conditio defuncti utriusque & qualiter dicentis. Cogitetur locutionem esse proverbialem, & hominis infimae caueae, videntes quantitatem pecuniae, saepe aliis parum momentosam facile exclamare & dicere vom Scheffel Geld.* Statuatur pecuniam esse a veterano collectam, unde non putandum, quod monetarum genus fuerit ex obulis & assibus constans. *Credatur non fuisse aureos, quoniam eius furinae homines difficulter aureos nummos colligunt, dum lubetius thaleros, vel argenteas monetas, tertiam vel duas tertias imperialis continentes coaceruant.* His itaque probe ponderatis, sique, ut recte itidem iam monuit *Illustr. MANTZELIUS* testibus crumenae haud vacuae, mox maior, mox minor exhibentur, interrogarenturque iurato: *Ob der Bentel wohl so, oder so groß, oder wie viel er wohl grosser oder kleiner gemezen?* tandem pro auctoritate certa summa determinari posset. Similiter, ut illustrationis gratia & hoc addam, si taxatores inter se dissentunt, aliis minorem, aliis maiorem summam renuncianti-

ciantibus, summa quae inter utramque media est, recte pro auctoritate statuitur, cum hanc veram esse probabile sit.

§. XXIV.

Quarta & ultima regularum, quae determinante rectum decisionis casuum pro auctoritate usum, quoad ipsum decidendi modum, haec est: *Si leges non determinant an diuisoria, an vero non diuisoria decisio pro auctoritate in dato quodam casu adhibenda, sicque index pro suo arbitrio id determinare debet, Et porro neque per leges determinatum, neque per iudicem secundum regulam tertiam determinari potest, quid pro vero habendum sit: in casu quo duo pluresue de aliquo diuisibili obiecto litigant, Et, quantum constat de facti veritate, omnium ius aequale est, decisio diuisoria locum habet; in reliquis casibus vero non diuisoria decisio adhibenda, quae multis modis fieri potest pro diversitate circumstantiarum, regitur tamen hoc principio generali: semper eligendum esse, quod minimum habet iniquitatis.* Illustrationis & probationis gratia hic sequentia notanda sunt.  
1) Quod in ipsa hypothesi, quam haec regula sistit, remoueat eam casus incerti conditionem, vel in legibus determinatum esse, vel a iudice determinari posse, quid pro vero adsumendum, hanc habet rationem, quoniam hoc posito reliqua per se patent, ut tum non opus sit noua regula. E. gr. si in casu de incerto obiecto actionis familiae circumsundae in

D 3

§. prae-

§. praeceps allegato index secundum regulam tertiam determinauit, quid hic pro vero adsumendum, reliqua decisionis momenta per se patens. 2) Praeter generalem hypothesis, speciatim, ut decisio diuisoria locum habere possit, requireo a) duos plures inter se litigare; b) deo obiecto diuisibili; c) quatenus constat de facto, ius eorum aequale est, ideo, quoniam primum & secundum requisitum adesse debere ipsa huius decisionis speciei natura poscit. Tertium vero quod attinet requisitum, hoc omnino ideo attendendum, quoniam non nisi quoad eos, quorum ius aequale est, diuisio locum habere potest. Ast sufficit secundum ea quae constant ius eorum aequale esse, licet forsan actu vnius alterius ius potius sit. Illud enim non apparere, hic idem est, acsi non sit. Exempla quae hoc comma illustrant vbique obvia sunt. Vnicum allegasse sufficiat. Pone duos plures de haereditate quadam litigantes, quos omnes defuncti cognatos esse quidem constat, ast quis gradu proximior sit inuestigari non posse. Hic adsunt omnia requisita quae adesse debent in diuisoria decisione. Diuidenda ergo est inter litigantes haereditas.

3) Quum decisio diuisoria supponat certa requisita, vti modo euictum est, iis deficientibus non potest non contradictorie opposita species, scilicet non diuisoria, obtinere. Quomodo vero tum pronunciandum sit, si hoc modo pro auctoritate decisio facienda vna generali definitione complecti nequit, ad specialia vero descendere iam non licet. Illustratio-

strationis causa vnicum tamen ita decisum casum proponam. Sit is quem exhibet **LEY SERIANA Med. 3, in Specim. 489.** obvia. Bona heredis & defuncti orto creditorum concursu erant commixta & ea accurate discerni impossibile erat. Praeterea probabile erat, patrimonium defuncti sufficeret eius creditoribus. Pro auctoritate itaque hic casus incertus decidendus erat. Eligebant Icti Helmstadienses hanc non diuisoriam decisionem. Primo omnium loco expensas concursus vniuersas cum tributis quasi extra concursum collocabant. Deinde omnes defuncti creditores, etiam chirographarios, & post hos, heredis creditores locabant. Recte, si quid video, ita casus est decisus. Diuisio locum non habebat deficientibus terminis habilibus. A tota massa excludi non poterant beneficio separationis gaudentes, absque magna iniquitate. Con-

cipi itaque nequit decisio, quae minimum

de daueret et haberet iniquitatis.





Halle, Diss. 1754

ULB Halle  
004 928 13X

3







Q. D. B. V. 1754 45  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**DECISIONE  
CASVVM QVAE FIT PRO  
AVCTORITATE,** 1754 116

QVAE  
PRAESIDE  
**DANIELE NETTELBLADT**  
POTENTISS. BORVSS. REGI A CONSILIIS AVLICIS  
ET PROFESSORE IVRIS ORDINARIO  
ORDINIS ICTORVM H. T. DECANO

PRO SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS  
CONSEQUENDIS,

D. II. NOVEMB. MDCCCLIV.

H. L. Q. C.

PVBLICO EXAMINI SVBMITTETVR

AB  
AVCTORE  
**TRAVGOTT GVILIELMO ZANGEN**  
DRESDENSI.

HALAE MAGDEBURGICAE  
APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII VIDVAM  
RECVSA MDCCXLV.

(4)

(11)